




# Novus Brasiliae Typus.

<https://hdl.handle.net/1874/430102>



Amstelodami  
Guilhelmus Blaeuw  
excudit.


NOVUS  
BRASILIAE  
TYPVS

MAR DEL NORT

B R A S I L I A

Vrbes à Belgis  
super expugnata

Capita, celebratioresque urbes hujus provinciae duae sunt: Prior S. Salvador five Babia de Todos los Santos, in qua tam Episcopus, quam Gubernator cum reliquis ministris regis domicilium habet. - Eam paucis retro annis Federati Belgii populus, sumtibus Societatis Indicae, armata manu expugnavit, annumque circiter tenuit, usque dum obsessa denuo ab Hispanis, pristini juris facta fuit. Altera urbs Olinda vocatur, in Pernambuci Capitanea sita, arcibus duabus valida, munitaque. Hanc quoque ejusdem Societatis armis anno 1630, audaci facinore, ducibus Lonckio & Waardenburgio, cepimus, & in hunc usque diem servamus victores, ut jam signa sua victricisque aquilas non solum ad Orientem, verum etiam ad Occidentem in Novo Orbe circumferant Batavi, aliique ejusdem belli adversus Regem Hispaniarum socii.



B R A S I L I A

Terra partim in planitiem soluta, partim in colles clementer affurgens, felix praepinguis glebis, & riguo solo semperque vernante, credita semina multiplici reddit fenore. Sacchari praefertim est ferax, quod caeleste donum Attico melli multis partibus praefendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquae dulcissimus humor expressus, in ahenis excoquitur, tum formis in panes cogitur ad metae figuram: dein rursus, ubi libuerit, eliquatus, artificis manu pingmetis ad instar ceree varias in effigies indiscreta pene similitudine trahitur. Cujus generis in hisce provinciis plurimae sunt machinae, quibus saccharum conficitur, (Lusitani vocant *Ingenios*) ita ut ad solam urbem Olyssipponensem quotannis traducantur ad minimum viginti sex millia cistarum, quarum singulae pendunt ad minimum quindecim arrobas, ita ut cistae istae 26000 efficiant 370000 arrobas; quarum singulae efficiunt 32 arrates. Id anno 1617 observatum fuit, quo eodem anno Vianam appulerunt supra quinque millia cistarum, ut de aliis portibus Portugalliae nihil dicam, ad quos quoque magnum numerum cistarum appellere certissimum est. Porro de omni hoc saccharo Regi in vectigal in ipsa Brasilia solvuntur decem pro unoquoque centenario, excepto illo saccharo, quod Domini Machinarum proprio suo periculo evehunt, quod liberum est à vectigalibus. In regno autem Portugalliae simulac appulerint, solvunt viginti pro unoquoque centenario.

Certis etiam è plantis, quas vulgo *Copaibas* vocant, inciso per aestatem cortice, in modum balsami liquor suavissimi odoris emanat, cujus cum ad alios mortalium usus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim esse perhibent. Ex plantae cernuntur affricatu animalium attritae, quae à serpentibus venenatis, aut à feris icta, ad remedium illud ipso naturae instinctu se conferunt. At *Zabucales* quae dicuntur, admodum excelsae, magnos ferunt summa duritiae calices, ore in terram obverso, & quidem admirabili naturae solertia pyxidatim operato, quibus calicibus nuces castaneae saporis egregii continentur, quae ubi maturuerint, excusso confestim operculo, paulatim ipse per se in alimentum incolarum à calice decidunt. Sylvestria etiam sunt *Cajusia* pyra, succi plena, & innoxia, itaque mediis caloribus avidè manducantur. Caterum in imo pyro faba quaedam extuberat cortice amarissimo, praedulci medulla, si torreatur. Pyro refrigerandi est vis, faba calefacit. Verum ex omni genere, palma tribuitur iis, quos vulgus *Ananazes* appellat. Planta est humilis, cujus è ramis veluti pinea nucamenta dependent praemollia: haec suo tempore in frustra dissecta, gratissimo simul odore ac sapore non recenti duntaxat edulio sunt, verum etiam in longum tempus asservantur è saccharo. Iam vero elati in eas regiones ex nostro orbe melopepones, cucumeres, malogranata, ficus, vitesque biferae ac triferae, necnon multiformia mala medica suppetunt. Ex animalium genere, apri sunt amphibii, carnis optimis ac saluberrimis, qui quod priores pedes perbreves habent, posteriores autem praelongos, tardiore sunt cursu: itaque deprehensi à venatoribus, qua proximum est, aquis sese immergunt. *Ante* sunt etiam gentis vocabulo ad mulae similitudinem, sed minores, & bucca tenuiore, inferiore autem labro tubae instar oblongo, rotundis auribus, brevi cauda, reliquo corpore cinereo: eadem lucifugae sunt, nec nisi noctu ad pabulum prodeunt. *Cotias* vero nominant, magnitudine & forma & sapore leporum: rufo colore, parvis auribus, cauda fere nulla. Majores sunt ejusdem fere speciei, quas *Pacas* vocant, rostro & facie felis, fusco colore, candidis maculis interstincto: neque carne tantum, sed & corio ipso praetenero. Caterum insolito spectaculo *Tatusiae* sunt, ad porcelli magnitudinem, corio squamatim loricate, adeo ut equi cataphraeti speciem reddant: ex eo caput duntaxat, more testudinum exerunt, pedibus contractis, specubus ferme, uti cuniculi sese continent. Illud vero mirum in Cerigonibus, ex cujus alvo duae pendent manticae, in quibus catulos circumferunt. Valde etiam inusitata & effigie & natura est animal, quod ab re ipsa *Lucifitani Pigrisiam* appellant, rostro saedo, & unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus.

Populi nullos omnino colunt Deos, omnibus tantum & auguriis ad insaniam dediti. Viri, feminaeque nudi incedunt, robusti, fluxo à vertice duntaxat capillo: nam caeteras corporis partes identidem depilant. Gregatim peregrinantur, ordine simplici, silentio miro, virum uxor anteit. Vino & frumento in hac usque tempora caruere, sativa radice victitantes in farinam redacta, quam *Mandiocam* appellant. Sub eodem tecto, ad inversae modum carinae praelongo multae simul familiae degunt: noctu ad noxia vitanda animalia, cubant in retibus supra terram suspensis: vivunt in diem, & quicquid habent, in commune facillime conferunt, nihil in posterum solliciti. Natandi arte ad miraculum usque excellunt. Captos in praelio hostes egregia multorum dierum cura saginatos, ingenti cum tripudio maectant, vorantque tosta verubus membra. Ex eadem provincia in Europam traducuntur plurimae merces, magna Ambari copia, Balsamum praestantissimum, lignum Brasiliam, ad tingendos pannos expetitur; tabacum, & plurimum gingeris.

AMERICA.

K

Capita,